

Magicam: est q̄ bor à certa disposita; quâ si confecerit eam, est in eâ sermo perpetuus.

25. Sed, si quid hujuscemodi formæ idoli credendum; potius eligenda videbitur ea, quam supra ex R. Elisere, quippe multò antiquiore, & posteriorum, in hac explicatione, paululùm tantummodò ab ipsis interpolata, antesignano, copiosius dedimus descriptam. Nec abhorrebit ab ea impium & incredibile Babyloniorum studium, quod generibus prope omnibus divinationum impenderunt; adeò ut *Babyloniæ* vel *Chaldæi* nomen, pro Ariolo usurpari cœperit.

*Babyloni-
orū nefan-
dum stu-
dium ari-
olandi.*

*Diabolus
loquelam
inducit i-
dolis.*

26. Diabolum verò per organa sua loqui, quod supra th. 2. 4. & 24. de *Teraphim* perhibebatur, nemini mirũ, aut novum; nisi cui omnia, quæ unquam ullibi facta, nova sunt. De hujusmodi loquela *S. Augustinus: Non malignis demonibus etiam sic difficile est fallere.* Lib. IV. de Civ. DEI c. 19. Idem: *Quod videntur ei (Porphyrio) herbis & lapidibus, & animantibus, & sonis certis quibusdam, ac vocibus, ac figurationibus, atq; figmentis, quibusdã & observatis in cœli conversione motibus siderum, fabricari in terrâ ab hominibus potestates, idoneæ variis affectibus exsequendis: totum hoc ad eosdem ipsos demones pertinet, ludificatores animarum, sibi met subditarum, & voluptaria sibi ludibria de hominum erroribus, exhibentes.* Lib. X. de Civ. DEI. c. II.

*Gereberti
caput fati-
dicum.*

27. Idem sentiendum, de statuæ capite, quod *Gerebertus* ille, primò *Rhemensium*, deinde *Ravennatum* *Archiepiscopus*, & postea Pontifex Maximus, *Sylvester II.* dictus, à Saracenis Hispaniensibus edoctus, in Oraculum sibi conflavit. Prodamus factum *G. Malmesburiensis*, de gestis Regum Angliæ Lib. II. c. 10. verbis: *De Gere.*